Jahresbericht

über den

Schulcursus 1842 – 43

an dem

Königlichen Gymnasium zu Bonn.

Von

Nicol. Jos. Biedermann,

Director des Gymnasiums.

Inhalt:

Bonn,

gedruckt bei Carl Georgi.

Iosephus Zirkel

primae classis discipulis in academiam abituris

S.

Nolite mirari, adolescentes carissimi, quid sit, quod, hac oblata scribendi opportunitate, ad Vos potissimum me convertam. Vos profecto res attingit. Quae enim per hosce menses aestivos subsecivis quidem horis analyticae, quam vocant, geometriae degustatis elementa, ea Vobiscum amplius tractare in animo fuit. Itaque, quum persuasum mihi esset, symbolorum naturam, quae ad lineam rectam spectant, Vos probe cognosse atque ad propositiones demonstrandas quomodo ea adhibenda sint, diligentius et accuratius didicisse, iam exempla aliquot ad circulum pertinentia constitui Vobis proponere. Quod consilium quo melius exsequerer magisque servirem commodis Vestris, eius generis elegi theoremata, quae, adhibita nova geometriae tractandae ratione, minus ad intelligendum essent difficilia, et quorum ex Euclide plenam Vos scientiam hausisse pro certo haberem. Ita autem operae pretium fecisse mihi videbor, si Vos, adolescentes optimi, nonnihil et voluptatis et utilitatis ex huius libelli lectione percepisse cognovero. Quod reliquum est, magnopere Vos adhortor, ut, quanta diligentia animique alacritate hucusque in studia humanitatis incumbere consuestis, tanto etiam in posterum has litteras prosequi amore pergatis. Valete.

---

§. 1.

Priusquam rem ipsam aggrediamur, necesse est repetere punctorum duorum datorum intervalli aequationem, quippe unde circuli aequatio derivetur. Rectum igitur esse, ut facilior fiat deductio, coordinatarum angulum statuamus.

(Fig. 1.) Sint M', M'' data puncta; x', y' et x'', y'' eorum coordinatae. Iam, si littera D denotat intervallum $M'M''$, recta $M'N$ abscissarum axi AX parallela ducta, habemus

$$D^2 = M''N^2 + M'N^2.$$

Est vero

$$\begin{aligned} M'N &= P'P'' \\ &= AP'' - AP' \\ &= x'' - x'; \\ M''N &= P''M'' - P''N \\ &= P''M'' - P'M' \\ &= y'' - y'; \end{aligned}$$

ergo

$$D^2 = (y'' - y')^2 + (x'' - x')^2$$

sive

$$D = \sqrt{(y'' - y')^2 + (x'' - x')^2}. \qquad (1.)$$

Duplex signum, quo denotari potest secundum aequationis latus, ad rationem tantummodo refertur intervalli: scilicet, utrum a primo ad secundum, an a secundo ad primum punctum transeamus. Quod quo clarius eluceat, ponamus, utrumque punctum in altero axium, e. c. abscissarum, esse positum. Ea enim conditione, qua $y' = 0$ et $y'' = 0$, aequatio illa hanc induit formam:

$$D = \sqrt{(x'' - x')^2} = \pm (x'' - x') = \pm P'P''.$$

Atque locum habet superius signum, si lineam P'P'' X versus i. e. a puncto P' usque ad P'', inferius, si eam X' versus i. e. a puncto P'' usque ad P' moveri fingimus.

Quodsi punctorum alterum e. g. punctum (x'', y'') in ipso coordinatarum initio situm esse faciamus, habemus $x'' = 0$, $y'' = 0$;

itaque est $$D = \sqrt{x'^2 + y'^2}. \qquad (2.)$$

Et profecto trigonum AM'P hancce nobis suppeditat aequationem:

$$AM'^2 = AP'^2 + M'P'^2.$$

§. 2.

(Fig. 2.) Si vero coordinatarum angulum esse obliquum statuerimus, habebimus in triangulo M'M''N, littera φ notante angulum YAX,

$$M'M''^2 = M''N^2 + M'N^2 - 2\, M''N.\, M'N.\, \cos M'NM''.$$

Est vero $M''N = y'' - y'$, $M'N = x'' - x'$,

$$\cos M'NM'' = -\cos M''NO = -\cos \varphi;$$

ergo $$D^2 = (y'' - y')^2 + (x'' - x')^2 + 2\,(y'' - y')\,(x'' - x')\cos\varphi,$$

inde $$D = \sqrt{(y'' - y')^2 + (x'' - x')^2 + 2\,(y'' - y')\,(x'' - x')\cos\varphi} \qquad (3.)$$

Quae quidem aequationis forma quum satis implicita esse videatur, eam nobis necessitatem affert, ut, quotiescunque duorum datorum punctorum intervallum computare velimus, axesque ad arbitrium componere liceat, coordinatarum angulum rectum efficiamus. In priorem tamen haec, quam modo invenimus, aequatio abibit speciem, ubi angulum $\varphi = 90^0$ reddiderimus. Nam, quum $\cos 90^0 = 0$, extemplo sequitur

$$D = \sqrt{(y'' - y')^2 + (x'' - x')^2}.$$

§. 3.

(Fig. 3.) Sint $AB = p$, $BC = q$ orthogonales coordinatae centri C; radius $CM = r$, atque $AP = x$, $PM = y$ coordinatae cuiuslibet puncti M in circuitu circuli cuiuspiam sumti. Iam statim perspicimus, formulam (1.) § 1. transire in

$$(x-p)^2 + (y-q)^2 = r^2. \quad (4.)$$

Haec est aequatio, quae secundum circuli naturam ad cuncta circuitus puncta spectat. At vero nonnisi ad ea pertinet, quae ita sunt sita, ut diximus. Nam, alio quovis puncto vel intra vel extra circulum posito, erit

$$(x-p)^2 + (y-q)^2 \lesseqgtr r^2.$$

Itaque illa ipsa aequatio (4), quum cuncta lineae circularis puncta plane definiat atque exhibeat, aequatio circuli vocatur. Tres, quae in ea nobis sese offerunt, constantes quantitates sunt centri coordinatae (p, q) et radius (r). Sane circulus, datis hisce quantitatibus, quoad situm et magnitudinem prorsus est determinatus. Rursus si statuimus obliquum esse coordinatarum angulum (φ), aequationis forma multo magis fit implicita. Nam, in (3.) §. 2. iustis litteris suppositis, est

$$(x-p)^2 + (y-q)^2 + 2\,(x-p)\,(y-q)\cos\varphi = r^2.$$

§. 4.

Aequatio (4.)

$$(x-p)^2 + (y-q)^2 = r^2$$

magis minusve simpliciorem speciem habebit, prout variis locis in circuli planitie axes collocaveris.

1. Si coordinatarum axes A'X', A'Y' a puncto A', in circuitu iacente, exordium ducunt, p valorem A'B', q valorem B'C accipit; quumque CA' = r sit,

est $$p^2 + q^2 = r^2.$$

Iam si in aequatione illa multiplicationes indicatas confecerimus et in utroque latere aequales quantitates $p^2 + q^2$ et r^2 suppresserimus, habebimus

$$x^2 - 2px + y^2 - 2qy = 0. \quad (5.)$$

Eiusmodi est ista conditione circuli aequatio. Et profecto, si posuerimus $y = 0$, erit

$$x^2 - 2px = 0$$

sive $$x\,(x - 2p) = 0;$$

ergo aeque $$x = 0, \text{ ac } x = 2p.$$

Inde quum utraque compages

$$y=0,\ x=0,\ y=0 \text{ et } x=2p$$

aequationi (5) satisfaciat, sequitur, circulum transire non solum initium A′ sed etiam alterum abscissarum axis punctum D, cuius quidem abscissa $A'D = 2p = 2\,A'B'$ est.

En nova symbolorum ope confecta demonstratio Euclideae propositionis III, 3:

Ἐὰν ἐν κύκλῳ εὐθεῖά τις διὰ τοῦ κέντρου εὐθεῖάν τινα μὴ διὰ τοῦ κέντρου πρὸς ὀρθὰς τέμνῃ, καὶ δίχα αὐτὴν τέμνει.

§. 5.

2. Si extremum diametri A″E punctum A″ coordinatarum initium ipsamque diametrum abscissarum axem esse fingimus, est

$$p = A''C = r;\ q = 0.$$

Itaque aequatio

$$(x-p)^2 + (y-q)^2 = r^2$$

mutabitur in hanc

$$(x-r)^2 + y^2 = r^2$$

sive

$$x^2 + y^2 - 2rx = 0. \tag{6.}$$

Posito $y = 0$,

erit $x\,(x-2r) = 0$;

ergo $x = 0$ et $x = 2r$.

Ex his videre licet, abscissarum axem circuitu circulari tam in uno extremo diametri puncto A″ $(y = 0, x = 0)$ quam in altero $(y = 0, x = 2r)$ secari.

Aequationem $x^2 + y^2 - 2rx = 0$

ita quoque scribere licet

$$y^2 = 2rx - x^2$$

sive

$$y^2 = x\,(2r - x).$$

Iam vero, figuram si intuemur, habemus $MP'' = y$, $A''P'' = x$, $P''E = 2r - x$;

ergo est

$$MP''^2 = A''P''.\ P''E$$

vel

$$A''P'':\ MP'' = MP'':\ P''E.$$

Qua proportione demonstratur illa Euclidis propositio, quae corollario ad L. VI. 6. continetur:

Ἐὰν ἐν κύκλῳ ἀπὸ σημείου τινὸς τῆς περιφερείας ἐπὶ τὴν διάμετρον κάθετος ἀχθῇ, ἡ ἀχθεῖσα τῶν τῆς διαμέτρου τμημάτων μέση ἀνάλογόν ἐστιν.

Ex eadem illa aequatione (6.) haec quoque, quae sequitur, derivatur:

$$x^2 + y^2 = 2rx.$$

Est vero $x = A''P''$, $y = MP''$, $2r = A''E$. Ducta igitur chorda $A''M$, erit

$$x^2 + y^2 = A''P''^2 + MP''^2 = A''M^2;$$

ergo $$A''M^2 = A''E.\ A''P''$$

sive $$A''E : A''M = A''M : A''P''$$

i. e. si priorem propositionem atque constructionem respicimus:

Ἡ εὐθεῖα $A''M$ τῆς διαμέτρου $A''E$ καὶ τοῦ τμήματος προσκειμένου $A''P''$ μέση ἀνάλογόν ἐστιν.

§. 6.

3. Tandem si coordinatae initium deducunt ab ipso centro, in generali ista aequatione (4.)

$$(x - p)^2 + (y - q)^2 = r^2$$

ponendae sunt $p = 0$ et $q = 0$. Quo facto in hanc formam

$$x^2 + y^2 = r^2$$

transibit, quae sane omnium est simplicissima atque ab ipso triangulo $CP''M$ proficiscitur. Scilicet est

$$CP''^2 + P''M^2 = CM^2$$

sive $$x^2 + y^2 = r^2. \qquad (7.)$$

Si in aequatione

$$(x - p)^2 + (y - q)^2 = r^2$$

solam quantitatem $q = 0$ reddiderimus, centrum quidem in abscissarum axe erit, circuitus autem initium coordinatarum non transibit. E contrario centrum in ordinatarum axe situm erit, quando solam $p = 0$ substituerimus. Cui utrique positioni hae duae respondebunt aequationes

$$y^2 + (x - p)^2 = r^2 \tag{8.}$$
$$x^2 + (y - q)^2 = r^2. \tag{9.}$$

§. 7.

Ex aequatione (7.), quam §. 6. perscripsimus, sequitur

$$y = \pm \sqrt{r^2 - x^2}.$$

Illico iam duplex signum, quo secundum latus denotatum est, probat, cuilibet valori abscissae x respondere duos aequales sibi et oppositos valores ordinatae y. (Fig. 4.) Sic ad abscissam AP duae aequales sibi et oppositae ordinatae MP, M'P pertinent. Igitur, quum MM' in AB ad perpendiculum sit directa, si inferiorem circuli partem circa diametrum vertentem cogitaveris, punctum M in M' et simili ratione singula partis BM'C puncta in singula partis BMC puncta incident. Inde deducimus hasce duas propositiones:

alteram, quam ex Euclidis ὅροις (I. 17.) bene novimus:

Διάμετρος δίχα τέμνει τὸν κύκλον;

alteram, quam iam demonstravimus supraque (§. 4.) descripsimus.

§. 8.

Quum $r^2 - x^2 = (r + x)(r - x)$ sit,

aequationem (7.) $x^2 + y^2 = r^2$

in hanc quoque transformare licet

$$y^2 = (r + x)(r - x).$$

Qua ad figuram translata, habemus

$$PM = y,\ CP = r + x;\ BP = r - x,$$

atque $PM^2 = CP.\ BP,$

seu $CP : PM = PM : BP$

Porro ducta chorda CM, erit

$$CM^2 = y^2 + (r + x)^2 = y^2 + x^2 + 2\,rx + r^2.$$

Est vero $x^2 + y^2 = r^2;$

ergo $\quad CM^2 = 2r^2 + 2\,rx$

$= 2\,r\,(r+x)$

$= CB.\ CP.$

sive $\quad CB : CM = CM : CP$

Ex his utrumque theorema, iam supra §. 5. commemoratum, intelligitur.

§. 9.

Si per punctum C ($y = 0$, $x = -r$) et per M punctum, cuius coordinatas per x et y denotare pergimus, rectam scribimus lineam, atque per a tangentem anguli MCX significamus, est secundum aequationem lineae, duo data puncta transeuntis,

$$a = \frac{y}{x+r}.$$

Simili modo, si per idem punctum M et per B ($y = 0$, $x = +r$) punctum rectam ducimus, littera a′ tangentem anguli MBX denotante, est

$$a' = \frac{y}{x-r}.$$

Iam, si a et a′ inter se multiplicatae fuerint, erit

$$aa' = \frac{y^2}{(x+r)\,(x-r)} = \frac{y^2}{x^2 - r^2}.$$

Est vero $\quad y^2 = r^2 - x^2;$

ergo $\quad aa' = \dfrac{r^2 - x^2}{x^2 - r^2} = -1$

sive $\quad aa' + 1 = 0.$

Haec vero est satis nota formula, unde sequitur, rectarum CM et MB alteram alteri ad perpendiculum esse superimpositam. Atque ita ad liquidum est perductum Euclidis illud praeclarum theorema III. 31.:

Ἐν κύκλῳ ἡ ἐν τῷ ἡμικυκλίῳ γωνία ὀρθή ἐστιν.

§. 10.

(Fig. 5.) Ponamus, chordam ED esse abscissarum, diametrum, in ea ad perpendiculum erectam, ordinatarum axem. Tunc circulus aequationis, quae §. 6. (9.) adscripta reperitur, ope plane est determinatus. Quae quidem aequatio

$$x^2 + (y - q)^2 = r^2$$

transit in hanc $$x^2 + (y - q)^2 = q^2 + s^2,$$

littera q intervallum AO et s dimidiam chordam i. e. AD designantibus.

Iam si quodpiam arcus EMD punctum M cum punctis E et D rectis coniungimus atque per a tangentem anguli MEX, per a′ tangentem anguli MDX significamus,

est $$a = \frac{y}{x+s} \text{ et } a' = \frac{y}{x-s}.$$

Est vero secundum aequationem, quae significat angulum, duabus rectis formatum,

$$\tan DME = \frac{a' - a}{1 + aa'};$$

erit igitur, substitutis pro a et a′ valoribus $\frac{y}{x+s}$ et $\frac{y}{x-s}$,

$$\tan DME = \frac{y(x+s) - y(x-s)}{x^2 - s^2 + y^2}$$
$$= \frac{2sy}{x^2 - s^2 + y^2}.$$

Ex aequatione autem supra perscripta

$$x^2 + (y - q)^2 = q^2 + s^2$$

est $$x^2 - s^2 + y^2 = 2qy;$$

ergo $$\tan DME = \frac{2sy}{2qy} = \frac{s}{q}.$$

Qui quidem valor constans est quantitas; nimirum nullo pacto variabitur, ubicunque M punctum in circuitu sumserimus. Praeterea quum e triangulo AOD probe intelligatur, esse

$$\tan AOD = \tan {}^1/_2\, EOD = \frac{AD}{AO} = \frac{s}{q},$$

haec duo habemus Euclidea theoremata III, 20. et 21.:

1. Ἐν κύκλῳ ἡ πρὸς τῷ κέντρῳ γωνία διπλασίων ἐστὶ τῆς πρὸς τῇ περιφερείᾳ, ὅταν τὴν αὐτὴν περιφέρειαν βάσιν ἔχωσιν αἱ γωνίαι.
2. Ἐν κύκλῳ αἱ ἐν τῷ αὐτῷ τμήματι γωνίαι ἴσαι ἀλλήλαις εἰσίν.

§. 11.

Iamiam aggrediamur demonstrare aliquot propositiones, quae ad duas rectas, vel intra vel extra circulum sese secantes, spectant.

(Fig. 6.) Sit igitur A punctum quoddam in planitie circuli ex O centro descripti. Ducamus per punctum A et centrum O rectam AX atque per A perpendicularem AY ad AX; in his quoque lineis sumamus abscissas et ordinatas. Tunc quidem, insuper littera p lineam AO litteraque r radium significantibus, haec erit circuli aequatio (§. 6. (8.)):

$$(x - p)^2 + y^2 = r^2.$$

Rectae autem, quae coordinatarum initium A transit, aequatio hanc habet formam:

$$y = ax.$$

Itaque, si id agimus, ut nanciscamur aequationem, quae punctorum M′ et M″, quibus recta ista obviam venit circulo, abscissas praebeat, hunc quidem valorem in circuli aequationem substituamus necesse est. Quo facto habemus

$$(x - p)^2 + a^2x^2 = r^2$$

sive

$$(1 + a^2)\, x^2 - 2px + p^2 - r^2 = 0$$

seu

$$x^2 - \frac{2p}{1 + a^2}\, x + \frac{p^2 - r^2}{1 + a^2} = 0.$$

Iam si per x', y'; x'', y'' punctorum, quibus recta AM′ circulum secat, coordinatas significamus, est

$$AM'^2 = x'^2 + y'^2;\ AM''^2 = x''^2 + y''^2.$$

Quum vero duo haec puncta in recta AM′ sita sint, habemus

$$y' = ax'; \; y'' = ax''$$

ergo $\quad AM'^2 = (1 + a^2)\, x'^2; \; AM''^2 = (1 + a^2)\, x''^2$

atque multiplicando $\quad AM'^2 . AM''^2 = (1 + a^2)^2\, x'^2\, x''^2.$

Praeterea quum x' et x'' ambae sint aequationis supra perscriptae

$$x^2 - \frac{2\,p}{1 + a^2}\, x + \frac{p^2 - r^2}{1 + a^2} = 0$$

radices atque in qualibet secundi gradus aequatione productum ex radicibus aequet tertium eius membrum, est

$$x'\, x'' = \frac{p^2 - r^2}{1 + a^2};$$

inde sequitur $\quad AM'^2 . AM''^2 = (p^2 - r^2)^2$

ergo $\quad AM' . AM'' = p^2 - r^2$

ea quidem lege, ut sit $p > r$ i. e. punctum A extra circulum positum sit.

E contrario erit

$$AM' . AM'' = r^2 - p^2,$$

quando $p < r$ i. e. punctum A intra circulum situm est.

Seu unam seu alteram conditionem posueris, rectangulum $AM' . AM''$ quantitatem a non amplius continebit: id quod satis claro est argumento, nequaquam illud variari, qualiscunque fuerit rectae AM' positio. Alia igitur per A ducta recta AN', quae circulum in N' et N'' secat, erit

$$AM' . AM'' = AN' . AN''$$

vel $\quad AM' : AN' = AN'' : AM''$

i. e. si per punctum quoddam vel intra vel extra circulum situm ducuntur duae rectae, quae circuitum persecant, intervalla, inter punctum istud et circuitum in una recta computata, inverso ordine proportionalia sunt intervallis, in altera recta simili modo enumeratis.

Quae quidem propositio duo geometrica theoremata complectitur, quorum alterum his verbis expressum legimus apud Euclidem lib. III, 35:

Ἐὰν ἐν κύκλῳ δύο εὐθεῖαι τέμνωσιν ἀλλήλας, τὸ ὑπὸ τῶν τῆς μιᾶς τμημάτων περιεχόμενον ὀρθογώνιον ἴσον ἐστὶ τῷ ὑπὸ τῶν τῆς ἑτέρας τμημάτων περιεχομένῳ ὀρθογωνίῳ.

Alterum, quod ad rectas extra circulum sese secantes spectat, idcirco non protulit geometra graecus, quia insequente propositione (36.), quae refertur ad tangentem circuli et secantem, ex uno eodemque puncto exteriore ductas, quodammodo continetur. Profecto enim, si duarum illarum secantium alteram AM′ ita circa punctum A circumferri tibi finxeris, ut M′ et M″ puncta in unum incidant:

> *ἔσται τὸ ὑπὸ ὅλης τῆς τεμνούσης καὶ τῆς ἐκτὸς ἀπολαμβανομένης εὐθείας περιεχόμενον ὀρθογώνιον ἴσον τῷ ἀπὸ τῆς ἐφαπτομένης τετραγώνῳ.*

§. 12.

Porro anquiramus conditiones, quibus duo circuli sese secent. Quod quo facilius perficiamus, eam quidem rectam, quae (Fig. 7.) centra A et B transit, sumamus abscissarum axem atque orthogonalium coordinatarum initium A centro imponamus. Iam, si punctorum A et B intervallum littera c, radiosque litteris r et r′ denotamus, hisce duabus aequationibus

$$x^2 + y^2 = r^2$$
$$(x - c)^2 + y^2 = r'^2$$

locus est. Cuiuslibet puncti, utrique peripheriae communis, coordinatas utrique aequationi satisfacere oportet; itidem coordinatae, quae explent utramque aequationem, ad punctum utrique peripheriae commune pertinent. Solvamus aequationes. Reales, qui esse poterunt incognitarum quantitatum x et y valores, cognoscendi nobis dabunt facultatem, quibus sese punctis duo circuli secent.

Deducta autem secunda aequatione de prima, habebimus

$$2cx - c^2 = r^2 - r'^2;$$

ergo
$$x = \frac{c^2 + r^2 - r'^2}{2c}.$$

Quo valore in primam aequationem introducto, respondentes quantitatis y valores obtinemus, nempe

$$y = \pm \frac{1}{2c} \sqrt{4c^2r^2 - (c^2 + r^2 - r'^2)}.$$

Inde quidem, quod duae tantummodo sunt quaestionis propositae responsiones, assumimus theorema hoc Eucl. III, 10:

Κύκλος κύκλον οὐ τέμνει κατὰ πλείονα σημεῖα ἢ δύο.

Quum utrumque sectionis punctum M, M′ eandem abscissam AP habeat, ordinatae MP et MP′ vero aequales sibi sint atque oppositae, ea, quam supra fecimus, derivatione, dummodo recte interpreteris, probatum est theorema, quod, quum recentioris geometriae peculiare sit, etiamsi apud Euclidem desideretur, sermone tamen eius proponere liceat his verbis:

Ἐὰν δύο κύκλοι τέμνωσιν ἀλλήλους, ἡ ἐπὶ τὰ κέντρα αὐτῶν ἐπιζευγνυμένη εὐθεῖα ὀρθή ἐστι πρὸς τὴν ἐπὶ τὰς κοινὰς τομὰς ἐπιζευχθεῖσαν, καὶ δίχα τέμνει αὐτήν.

Verum tamen conditio, qua circuli se secent, ex eo pendet, ut y quantitatis valor, signo radicis subiectus, realis fiat aut impossibilis. Quam conditionem quo facilius cognoscamus, valori isti aliam induimus formam. Quum enim notum nobis exploratumque sit, duarum quantitatum quadratorum differentiam aequare earundem summam multiplicatam per differentiam, habemus

$$\begin{aligned} 4c^2r^2 - (c^2 + r^2 - r'^2) &= (2cr + c^2 + r^2 - r'^2)\ (2cr + r'^2 - c^2 - r^2) \\ &= [(c+r)^2 - r'^2]\ [r'^2 - (r-c)^2] \\ &= (c + r + r')\ (c + r - r')\ (r + r' - c)\ (c + r' - r). \end{aligned}$$

Itaque est

$$y = \pm \frac{1}{2c} \sqrt{(c + r + r')\ (c + r - r')\ (r + r' - c)\ (c + r' - r)}\ .$$

Hac sub forma primus radicandi numeri factor reapse positivus est. Ergo y realis erit ea lege, ut vel ceteri tres factores itidem sint positivi, vel unus eorum positivus, reliqui duo negativi. Secundus vero casus nunquam poterit obtinere. Etenim si posteriorum trium factorum unus est negativus, positivus sit reliquus uterque necesse est. Ponamus e. c. priorem esse negativum, h. e.

$$c + r - r' < 0, \text{ ergo } c + r < r'.$$

Haud dubie, quoniam nunc est

$$c < r' \text{ et } r < r',$$

sequitur $r + r' - c$ pariter ac $c + r' - r$ positivam esse quantitatem.

Quum igitur nullo pacto neque duo, neque multo minus universi res factores una negativi esse possint, colligere licet, nonnisi duos admittendos esse casus. Ergo vel positivi sunt tres isti factores, vel negativus unus, positivi reliqui duo.

Atque priore quidem casu, quo scilicet

$$r + c > r', \; r + r' > c, \; r' + c > r,$$

y fit realis. Itaque circuitus duo sese secabunt, quotiescunque trium quantitatum, nempe radii utriusque r, r′ et centrorum intervalli, una minor fuerit quam ceterarum summa. Quodsi posteriorem accidere casum atque inaequalitatum illarum unam inverso ordine locum habere posueris, y fiet impossibilis: unde sequitur, circulos duos non sese esse secturos, quotiescunque trium quantitatum r,r′,c una alterave maior fuerit quam reliquarum duarum summa.

Attamen evenire potest, ut sit

$$c + r - r' = 0, \text{ vel } r + r' - c = 0, \text{ vel } r' + c - r = 0$$

sive

$$r' - r = c, \text{ sive } r + r' = c, \text{ sive } r - r' = c.$$

Tunc quidem duo y quantitatis valores ad unum, scilicet ad 0, reducuntur atque circuitus unum solum punctum commune habent, quod, quum ordinata eius sit $= 0$, in centrali linea positum esse apparet. Ex his depromimus sequentem propositionem, quae est corollarium Euclid. III, 11. 12.:

Circulus circulum contingit, si centrorum distantia aequalis est vel summae vel differentiae radiorum.

Si singularem statuerimus legem, ut sit $c = 0$, atque circuli commune habeant centrum, valores quantitatum x et y hi erunt:

$$x = \frac{r^2 - r'^2}{0} \text{ et } y = \frac{\sqrt{-(r^2 - r'^2)^2}}{0}$$

i. e. uterque exaequat ∞. Id quod probat, circulos se non posse secare ideoque nullum habere punctum commune.

Praeterea si $r = r'$ fecerimus, erit

$$x = \frac{0}{0} \text{ et } y = \frac{0}{0}.$$

Profecto iam circuli in unum incidentes indefinita gaudent communium punctorum copia.

§. 13.

Reliquum est, ut de linea, quae vocatur circuli tangens, nonnulla dicamus. Ac primum quidem constat, in geometria ita definiri huiusce lineae naturam, ut sit recta, quae unum solum cum circumferentia commune punctum habeat. Qua ex definitione consequitur, ut, si per puncta duo (Fig. 8.), sita in circumferentia, secans M'S ducatur eamque circa punctum M' circumferri tibi fingas, donec M'' punctum in M' incidat, ipsa haec recta tangens fiat. Ergo tangens existimanda est secans, cuius utrumque punctum in unum idemque i. e. contactus punctum incidit.

Iam vero considerata lineae, de qua sermo est, natura, facile puncti cuiuslibet in circumferentia positi tangentem determinandi facultatem nanciscemur. Sit S punctum, in quo secans SM''M' abscissarum axi occurrit. Iam, si per x', y'; x'', y'' punctorum M', M'' coordinatas significamus, habemus

$$\tan \text{MSX} = \frac{y' - y''}{x' - x''}.$$

Eorundem vero, quum ad circumferentiam pertineant, coordinatae circuli aequationi satisfaciant necesse est. Itaque

$$x'^2 + y'^2 = r^2$$
$$x''^2 + y''^2 = r^2;$$

unde sequitur $\quad y'^2 - y''^2 + x'^2 - x''^2 = 0$

sive $\quad (y' - y'')(y' + y'') + (x' - x'')(x' + x'') = 0;$

ergo $$\frac{y' - y''}{x' - x''} = - \frac{x' + x''}{y' + y''}$$

atque $$\tan MSX = - \frac{x' + x''}{y' + y''}.$$

Nunc quidem, ubi M'' punctum in M' inciderit, ut sit $x'' = x'$ et $y'' = y'$, secans $M'S$ tangentis TM' locum obtinebit. Quodsi igitur in aequatione supra perscripta $x'' = x'$ et $y'' = y'$ fecerimus, habebimus tangentem anguli $M'TX$, ex abscissarum axe et tangente in ipso contingentiae puncto M' constructi. Itaque, a littera huius anguli tangentem significante, erit

$$a = - \frac{x'}{y'}.$$

Quum vero rectae $M'T$ aequatio sit

$$y - y' = a\,(x - x'),$$

pro a valore substituto, habemus

$$y - y' = - \frac{x'}{y'}\,(x - x').$$

Haec est tangentis aequatio, in qua quidem (x', y') punctum contactus denotat. At multo elegantiorem ipsi formam induere poterimus. Abiecto enim denominatore y' atque confecta multiplicatione et translatione, dummodo observare velis, esse $y'^2 + x'^2 = r^2$, in hanc memorabilem abibit speciem:

$$yy' + xx' = r^2.$$

Neque difficile illud est docere, rectam per hanc aequationem datam reapse tangentem circuli esse, quippe quae, excepto M' puncto, tota extra circulum cadat.

Nam si ex duabus aequationibus

$$yy' + xx' = r^2$$
$$y'^2 + x'^2 = r^2,$$

quarum prior tangentem exhibet, posterior tangentis punctum in circuitu iacere ostendit, illam per 2 multiplicamus eamque de hac detrahimus, est

$$y'^2 - 2yy' + x'^2 - 2xx' = - r^2;$$

atque $x^2 + y^2$ utrique lateri addendo accipimus hanc

$$(x - y')^2 + (x - x')^2 = x^2 + y^2 - r^2.$$

Inde, quum prius latus sit summa duorum quadratorum, sequitur, ut, quodcunque in tangente punctum sumseris, quantitas $x^2 + y^2 - r^2$ negativa esse nequeat. Est vero $x^2 + y^2$ quadratum distantiae initii seu centri a quolibet tangentis puncto; haec igitur distantia haud minor radio esse poterit, eumque tunc demum exaequabit, quum $x = x'$ et $y = y'$ posueris. In promtu est, universa tangentis puncta, excepto contingentiae puncto, extra circulum cadere. —

§. 14.

Iam nunc quaeramus aequationem tangentis, quae punctum extra circulum datum transeat. Cuius puncti coordinatas significemus per x'', y'', contingentiae vero puncti adhuc ignoti per x', y'. Tunc quidem tangentis, punctum istud (x, y') transeuntis, haec aequatio erit:

$$yy' + xx' = r^2.$$

Quum autem postuletur, ut tangens pariter transeat punctum (x'', y''), y'' in locum y, x'' in locum x nobis substituendae sunt. Est igitur

$$y''y' + x''x' = r^2.$$

Praeterea, quoniam (x', y') punctum in circumferentia positum est, habemus:

$$y'^2 + x'^2 = r^2.$$

Utraque haec posteriorum aequationum ignotis coordinatis x', y' determinandis nobis inserviet.

Nam ex illa statim sequitur:

$$y' = \frac{r^2 - x''x'}{y''}.$$

Quo valore in posteriorem aequationem pro y' substituto, invenimus

$$x'^2 (x''^2 + y''^2) - 2r^2 x'' x' + r^2 (r^2 - y''^2) = 0;$$

inde
$$x' = \frac{r^2 x'' \pm r y'' \sqrt{x''^2 + y''^2 - r^2}}{x''_2 + y''^2}$$

ergo
$$y' = \frac{r^2 y'' \mp r x'' \sqrt{x''^2 + y''^2 - r^2}}{x''^2 + y''^2}.$$

Bene notandum est, $x''^2 + y''^2$ esse $> r^2$, ea quidem lege, ut datum punctum extra circulum sit positum. Talem igitur ad situm quod attinet, reales sunt quantitatum x' et y' valores, duaeque sunt tangentes. Sin punctum illud ipsi circumferentiae inesse sumseris, qua quidem conditione $x''^2 + y''^2 = r^2$ est, tam x' quam y' quantitatis valores reducentur ad unum, unaque sola tangens erit. Denique si datum punctum interius est, $x''^2 + y''^2$ fit $< r^2$. Iam quantitatum x' et y' valores impossibiles sunt, nullaque exstat linea, quae circulum contingere queat.

§. 15.

Quum constructio, quae vocatur, valorum x' et y' res sit admodum sane contorta et impedita, redeamus ad problematis aequationes

$$y''y' + x''x' = r^2$$
$$y'^2 + x'^2 = r^2.$$

In utraque si deinceps coordinatas x' et y' quasi indeterminatas respexerimus, duorum habebimus aequationem geometricorum locorum, tangentis puncta continentium. Est autem posterior aequatio ipsius dati circuli, prior lineae haud magno negotio construendae. Nanciscemur profecto, si $y' = 0$ et deinde $x' = 0$ posuerimus, initii distantiam a punctis, quibus recta illa axibus obviam venit. Scilicet est

$$AT' = \frac{r^2}{x''};\ AT'' = \frac{r^2}{y''}.$$

Quae formulae $\frac{r^2}{x''}, \frac{r^2}{y''}$ quomodo construantur, supervacaneum est dicere. Puncta T′, T″ igitur determinata sunt, hincque recta T′T″, quae, ubi secat circumferentiam, contactus puncta M′ et M″ nobis subministrat.

At haec construendi ratio, etiamsi sit compendiaria, non tamen tam simplex est, quam illa, cuius ex geometria scientiam tenemus. Periclitemur, si nostra quoque via ad eandem possimus pervenire. Recipiamus iterum

$$y''y' + x''x' = r^2$$

et

$$y'^2 + x'^2 = r^2$$

aequationes, in quibus x' et y' quaesiti contingentiae puncti coordinatas exhibent. Superiore de inferiore detracta, reperimus

$$y'^2 - y''y' + x'^2 - x''x' = 0;$$

ex qua, iustis aucta supplementis, fit

$$\left(y' - \frac{y''}{2}\right)^2 + \left(x' - \frac{x''}{2}\right)^2 = \frac{y''^2}{4} + \frac{x''^2}{4}.$$

Quam quidem formulam cum generali circuli aequatione

$$(x - p)^2 + (y - q)^2 = r^2$$

comparantes, ipsa ea repraesentari circulum animadvertimus, cuius centrum $\frac{x''}{2}$ et $\frac{y''}{2}$ coordinatas habet radiusque $\sqrt{\frac{y''^2}{4} + \frac{x''^2}{4}}$ exaequat. Sit igitur Q datum punctum, ex quo ducere oportet rectam, quae circulum contingat. Iungatur AQ recta atque secetur bifariam in O. Iam quum x'' et y'' sint puncti Q coordinatae, perspicuum est, $\frac{x''}{2}$ et $\frac{y''}{2}$ pariter exhibere puncti O coordinatas, et esse $AO = \sqrt{\frac{y''^2}{4} + \frac{x''^2}{4}}$. Itaque novus hic circulus, cuius circumferentia quaesita continet puncta, centro quidem O, dimidio autem intervallo AQ est describendus. M' et M'', quibus alter alterum secat circuitum, contingentiae sunt puncta $(x'\ y')$, quae erant investiganda. Ad idem igitur pervenimus construendi genus, quod ex elementis satis notum est.

§. 16.

Valor $AT' = \frac{r^2}{x}$, definiens punctum T', quo recta $T'T''$ abscissarum axem secat, materiam praebet observationis minime negligendae. Quum enim ordinatam y'' puncti Q non amplius in se contineat, ideoque puncti T' definitio nequaquam pendeat ex ordinatae y'' valore, ipsum hoc punctum T' pro punctis Q, quotquot eandem abscissam x'' habeant et quae in recta, abscissarum axi ad rectos angulos ducta, sita sint, uno eodemque loco maneat necesse est. Unde colligimus haec duo theoremata recentioris geometriae propria:

1. Si ex quovis puncto rectae cuiuspiam tangentium paria descripseris, binaque congrua contactus puncta rectis coniunxeris, hae quidem rectae uno eodemque puncto se persecabunt.

2. Si per punctum aliquod, in planitie circuli cuiuspiam sumtum, plures rectas duxeris atque in punctis, quibus circumferentiam transeunt, tangentium paria construxeris, harum quidem sectiones in eandem incident rectam.

§. 17.

